



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Resolutorium dubioru[m] circa celebratione[m]
missa[rum] occurrentiu[m]**

Heynlin, Johannes

Colonie, 1501

VD16 H 3452

ij Que [et] quot sunt huiusmodi indumenta

urn:nbn:de:hbz:466:1-34702

Quintum

strum horizontem, sed debet accipi ab illa hora qua radij solares incipiunt illuminare nostrum hemispherium, quod dicitur principium aurore, et incipit fulgere vna hora et quinta parte vnius hore ante corporalem solis ortum

¶ Quid si quis celebrando non obseruet tempus debitum.

Sol. Si obseruet alia ad consecrationem necessaria consecrat nihilominus. Sed tamen si ex contemptu vel scienter tempus debitum non obseruauerit mortaliter peccat faciens contra constitutionem et consuetudinem generalem ecclesie romane.

Dubium

¶ Capitulum quintum de dubijs que incidunt circa materia exteriora que ad ornatum vel congruentiam celebrationis requiruntur, tres continet articulos

¶ Resoluit quinque dubia que circa vestes et indumenta sacerdotalia surgere possunt

Arti. 1.

I **Sol.** Utrum sacerdos celebraturus specialibus debeat indui vestibus sic congruum enim est ut quibus sacerdos usus fuit in sua ordinatione, etiam utatur illis in celebratione. Et quia in susceptione ordinis specialibus vestibus indutus fuit, ideo et talibus vestibus debet in celebratione.

¶ Que et quot sunt huiusmodi vestes vel indumenta

Sol. Simplicium sacerdotum sex sunt indumenta, scilicet amictus siue humerale, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula

¶ Utz requiratur quod talia indumenta sint benedicta siue consecrata.

Sol. Sic debent enim esse sacrata munda et honesta, nec alijs vsibus que ecclesiasticis et deo dignis officijs deputanda

Dubium

¶ Utrum celebrans absque vestibus et indumentis benedictis efficiatur irregularis.

Sol. Non, quia non inuenitur hoc in iure positum, verum tamen scienter vel ex ignorantia crassa hoc faciens grauiter peccat.

¶ Utrum necessario requiratur quod tales vestes vel indumenta ceteraque requisita sint munda et nitida

Sol. Sic, nam ut habetur in capitulo, relinquitur de custodia eucharistie clericis precipitur ut oratoria, vasa, palle, corporalia et vestimenta munda et nitida conseruentur. Quod autem precipitur imperatur, et quod imperatur necesse est fieri, si non fiat penam habet, ut habetur, iij. q. i. ca. quod precipitur. Et igitur illis qui maiores curam adhibent ut linteamina vel prophudor si fas est dicere femoralia sua sint mundiora et nitidiora, que ea super quibus locari et tractari debet sacratissimum ac mundissimum corpus iesu christi.

¶ Resoluit quattuor dubia que circa vasa ad celebrandum oportuna occurrere possunt.

Arti. 2.

I **Sol.** Utrum ad celebrationem missarum requirantur aliqua vasa specialia

B iij